denate Diabolo, tanquam bonum postulamus. Matth. 16.

Passionem, & Mortem se proxime subiturum Discipulis prænuntiabat, vocare nitebatur; & tamen eum Dominus acriter objurgavit, quod humanis sensibus, non divina ratione duceretur. *Vade post me Satana*, inquit, *scandalum es mihi; quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.* Eaque occasione Christus Discipulis suis præclarum hoc abnegandæ propriæ voluntatis documentum dedit, quod totius vitæ spiritualis fundamentum est: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Ardentissimi in Christum amoris argumentum videbatur, quod Sancti Apostoli Jacobus, & Joannes petierunt, ut juberet ignem e cælo descendere, quo Samaritanorum illorum impia inhospitalitas plecteretur, qui eum in civitatem suam recipere noluerunt. Verum a Christo Domino reprehensi sunt his verbis: *Nescitis, cujus Spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Cum ergo plerunque Diabolus, cui mille nocendi artes, nps ad aliqua fuscipienda, vel agenda impellat, quæ tametsi per se mala non sint, spectaris tamen rerum circumstantiis mala sunt, nostræque vel proximi saluti noxia, nihil quod alicujus sit momenti fuscipiendum, vel agendum est, nisi a Spiritualibus viris, conscientiæque nostræ peritis Moderatoribus consilium exquisierimus. Deumque ferventissimis precibus rogaverimus, ut suam nobis voluntatem aperiat illique totum commiserimus, humili, & obedienti animo dicentes: *Fiat voluntas tua.*

Luc. 9.

Quo præsertim tempore postulare debemus, ut Dei voluntas in nobis, ac de nobis impleatur. Luc. 22.

VI. Maxime vero in adversis rebus, in rerum temporalium jactura, in carorum nostrorum amissione, in morbis & infirmitatibus gravissimis, in egestate, ignominia, oppressione, si quam a Potentioribus patimur, in ipso mortis discrimine, ex animo precari debemus, ut Dei voluntas in nobis, ac de nobis impleatur, exemplo Christi, qui cum naturaliter insito cruciatuum, & mortis acerbissimæ timore commoveretur, suam tamen ad Dei Patris retulit, pœnitusque conformavit voluntatem: *Non mea*, inquit, *voluntas, sed tua fiat.* Nusquam adversus Dei voluntatem, & providentiam obmurmurandum; mentis æquabilitate, & cor rectum cum eo tam in prosperis, quam in adversis servare debemus, sive nos vivere, sive mori velit, sive affligi, ut emendemur; sive sublevari, ut ejus benignitati gratias agamus. Injurias, vim, calamitates ab hominibus nobis immissas patienter ferre debemus, immo cum gaudio, quod hæc ita Deus administret, ut nostra voluntas impediatur, quo magis adoranda illius voluntas nobis dominetur. Nec in homines, qui sunt flagella iræ Dei, aut vindictæ ejus instramenta, excandescere debemus ultionis libidine, canum instar, qui cum hominem verberantem mordere non possint, baculum, aut lapidem morsibus appetunt. Si quis igitur, quod frequenter usuvenit, contra voluntatem nostram aliquid faciat, vel omittat, loquatur, aut sileat; ne ea re ad impatientiam, aut iram commoveamur, ne queramur, vociferemur, judicemus, condemnemus, aut verbis durioribus, & contumeliosis proscindamus; immo Deo gratias agamus, quod Dei voluntatem contra nostram promoverint. Hanc gratiam petimus his verbis: *Fiat voluntas tua.*

1. Cor. 7. Animi moderationem postulamus, ut in statu nostro Deo fideliter, ac tranquille serviamus

VII. Cum item Dei voluntas sit, ut *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, hoc est, ut sortem suam æquo animo ferat: hac petitione Dominicæ Orationis admonemur, ne statum nostrum temere mutare contendamus, nisi aliqua detur opportunitas melioris conditionis citra ullam rerum perturbationem amplectendæ, quæ Dei providentia oblata potius, quam nostra cupiditate quæsita videatur: sed magis, ut sua cuique sors a Deo contigit, in ea quieto, ac tranquillo animo Divinæ Majestati serviat.

1. Cor. 7. 17. Psalm. 35. *Alligatus es uxori? Noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem*, inquit Apostolus: *Servus vocatus es? Non sit tibi cura: sed & si potes fieri liber, magis utere.* Sed cum illa animi moderatio absque Dei gratia non habeatur, hanc a Deo postulamus his verbis: *Fiat voluntas tua.* Rectus corde est, qui ex animo sic orat: *Prætende misericordiam tuam scientibus te, & justitiam tuam his, qui recto sunt corde*, (orabat David.) *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde.* Illi recto sunt corde, qui sequuntur in hac vita voluntatem Dei; (inquit S. Aug. Enarr. in Ps. 135.) *voluntas Dei est aliquando, ut sanut sis aliquando, ut ægrotes: si quando sanueres, dulcis est voluntas Dei, non recto corde es. Quare? Quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, sed Dei vis curvare ad tuam: illa recta est, sed tu curvus: voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curvanda est ad te, & rectum habebis cor. Bene est in hoc sæculo, benedicatur Deus, qui consolatur: laboratur in hoc sæculo, benedicatur Deus, qui emendat, & probat: & erit recto corde dicens: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.*

Recti corde voluntatem Dei sequuntur. Psalm. 72.

Et Enarr. in Ps. 63. illum Versum explicans: *Laudabuntur omnes recti corde*, ait: *Qui sunt recti corde? Qui omnia quæcunque in hac vita patiuntur, non ea tribuunt insipientiæ, sed consilio Dei ad medicinam suam; nec præsumunt de justitia sua, ut putent se injuste pati, quod patiuntur, aut ideo esse Deum injustum, quia non plura patitur, qui plus peccat. Aliquid sentis, sive secundum corpus, sive secundum dispendium rei familiaris, sive per orbitatem aliquam carissimorum suorum, noli respicere eos, quos nosti iniquiores, & florere in istis, & non flagellari, ut displiceat tibi consilium Dei, & dicas, Ecce puta peccator sum, & propterea flagellor; quare ille non flagellatur, cujus novi tanta flagitia? Quantumcunque mali fecerim ego, nunquid ego tantum feci quantum illi? Distortum est cor tuum.* Quam bonus Israel Deus, *sed rectis corde. Tui autem labuntur pedes, quia zelat in peccatores, pacem peccatorum intuens. Sine curari: novit quid agat, qui vulnus novit. Non secatur alius? Quid desperatur? Quid si propterea tu secaris, quia non desperaris? Patere ergo, quicquid pateris vecto corde: novit Deus, quid tibi donet, quid tibi subtrahat. Quod tibi donat, ad consolationem valeat, non ad corruptionem: & quod tibi subtrahit, ad tolerantiam valeat, non ad blasphemiam. Si autem blasphemas, & displicet tibi Deus, & tu tibi places; perverso corde, & distorto es: & hoc pejus, quia cor Dei vis corrigere ad cor tuum, ut hoc ille faciat, quod tu vis, cum tu debeas facere, quod ille vult. Quid ergo? Vis detorquere cor Dei, quod semper rectum est, ad pravitatem cordis tui? Quanto melius ad rectitudinem Dei corrigis cor tuum? Nonne hoc te docuit Dominus tuus? Nonne infirmitatem tuam portabat, quando dixit*, Tristis est anima Matth. 26. *mea usque ad mortem? Nonne teipsum in figurabat, cum dicebat*, Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste? *Non enim duo corda, & diversa Patris, & Filii: sed in forma servi portavit cor tuum, ut doceret illud exemplo suo. Jam ecce quasi aliud cor tuum invenit tribulatio, volens transire, quod immitebat: sed voluit Deus. Non consentit Deus cordi tuo consenti tu cordi Dei: Audi vocem ipsius.* Verum *non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater.*

Et Enarrat. 2. in Ps 32. explicans hæc verba: *Rectos decet collaudatio*, ait: *Qui sunt recti? Qui dirigunt cor secundum voluntatem Dei: & si eos perturbat humana fragilitas, divina consolatur æquitas. Quamvis enim corde mortali privatim aliquid velint, quod sua interim causa, vel negotio, vel præsertim necessitati conveniat; ubi intellexerint, vel cognoverint aliud Deum velle, præponunt voluntatem Meltioris voluntati sua, & voluntatem Omnipotentis voluntati infirmi, & voluntatem Dei voluntati hominis. Quantum enim Deus distat ab homine, tantum voluntas Dei a voluntate hominis. Unde gerens hominem Christus, & regulam nobis proponens, docens nos vivere, & præstans nobis vivere, ostendit hominis quandam privatam voluntatem, in qua suam figuravit, & nostram, quia caput nostrum est, & ad eum tanquam membra pertinemus*: Pater, inquit, si fieri potest, transeat a me calix iste. *Hæc humana voluntas erat, proprium aliquid, & tanquam privatum voluntas; Sed quia rectum corde voluit esse hominem, ut quicquid in illo aliquantum curvum esset, ad illud dirigeret, qui semper est rectus;* Verum non, quod ego volo, (*ait* sed quod tu Pater. *Sed quid posset mali velle Christus? Quid aliud posset velle, quam Pater? Quorum una est Divinitas, non potest esse dispar voluntas ... Ostendit quandam hominis propriam voluntatem, ostendit te, & correxit te, Ecce vide*, inquit, *te in me; quia potes aliquid proprium velle, ut aliud Deus velit, conceditur hoc humanæ fragilitati, conceditur humanæ infirmitati. Aliquid proprium velle difficile est, ut non tibi contingat: sed statim cogita, qui sit suprate. Illum supra te, te infra illum; illum Creatorem, te creaturam, illum Dominum, te servum; illum omnipotentem, te infirmum; & corrigens te, subjungensque voluntati ejus, ac dicens*, Verum non quod ego volo, sed quod tu vis Pater. *Quomodo disjunctus est a Deo, qui jam hoc vis? quod Deus? Eris ergo rectus; & te decebit laudatio, quoniam* Rectos *decet laudatio.*

VIII. Sed quia ita depravatum est cor nostrum, ut cum vim etiam intulerimus nostræ cupiditati, eamque divinæ voluntati subjecerimus, tamen sine auxilio Dei, quo a malo protegimur, & in bonum dirigimur, peccata vitare non possimus, & in justitia perseverare, petendum a Deo est, ut qui in nobis salutis opus incœpit, ipse perficiat. Petunt ergo perseverantiam justi homines, qui faciunt voluntatem Dei, cum dicunt in oratione, *Fiat voluntas tua. Cum enim jam facta sit in eis, cur ut fiat adhuc petunt, nisi, ut perseverent in eo, quod esse cœperunt?* (inquit S. Aug. Lib. De Dono Perseverantiæ, cap. 3.) Oramus ut voluntas Dei non solum fiat in nobis, sed a nobis. *Fiat voluntas tua.* Idest, *Fiat in me, ut non resistam voluntati tuæ. Ergo & hic pro te orat, & non pro Deo. Fiet enim voluntas Dei in te, etsi non fiat a te. Nam & quibus dicturus est*, Venite, benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi, *fiet in illis voluntas Dei, ut justi, & Sancti accipiant Regnum: & quibus dicturus est*, Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus, *fiet in illis voluntas Dei, ut mali damnentur in ignem sempiternum. Aliud est, ut fiat ate. Ut ergo fiat in te, non sinecaussa orat, nisi ut bene sit tibi. Sive ergo bene sit tibi, sive male sit tibi, fiet in te: sed fiat & a te. Quare ergo dico*; Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra, & non dico, *Fiat voluntas tua a cælo, & a terra? Quia quod fit a te, Ipse facit in te. Nunquam fit a te, quod non ipse facit in te. Sed aliquando facit in te, quod non fit a te; nunquam autem aliquid fit a te, si non faciat in te.* Verba sunt S. Augustini, Serm. 56. alias De Diversis 48.

Perseverantiam petimus, cum oramus, ut voluntas Dei fiat.

Matth. 25.

Tr. de Orat. Dom.

Oramus, inquit S. Cyprianus, non ut Deus faciat, quod vult,

vult, sed ut nos faciamus, quod Deus vult; nam Deo quis obsistit, quo minus, quod velit, faciat? *Sed quia nobis a Diabolo obsistitur, quo minus per omnia noster animus, atque actus Deo obsequatur, oramus, & petimus, ut fiat in nobis voluntas Dei, qua ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, idest, ope ejus & protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia, & misericordia tutus est.* Ad faciendam Dei voluntatem S. Joannes hortatur dicens: *Nolite diligere Mundum, neque ea, quæ in Mundo sunt. Si quis dilexerit Mundum, non est caritas Patris in illo. Quia omne, quod in Mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi, quæ non est a Patre, sed ex concupiscentia Mundi. Et Mundus transibit, & concupiscentia ejus. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quemodo & Deus manet in æternum.* Qui in æternum manere volumus, Dei, qui æternus est, voluntatem facere debemus; *Voluntas autem Dei est, quam Christus & fecit, & docuit: humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facere non nosse, & factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo, quod Pater est, timere, quod Deus est; Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam ille præposuit; Caritati ejus inseparabiliter adhærere, Cruci ejus fortiter, ac fideiter adsistere: quando de ejus nomine, & honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confirmetur, in quæstione fiduciam, qua congregiamur; in morte patientiam, qua coronemur; hoc est coheredem Christi esse velle, hoc est præceptum Dei facere, hoc est voluntatem Patris adimplere.* Hæc S. Cyprianus.

1. Joan. 3.

Voluntas Dei est, quam Christus fecit, & docuit.

Oramus, ut sicut ab Angelis, sic ab hominibus voluntas Dei adimpleatur.

IX. Petimus autem, ut fiat voluntas Dei *Sicut in cælo, & in terra*, idest, ut quemadmodum perfecte adimpletur ab Angelis, & cælestibus Civibus, qui Deo unanimes serviunt, & in omnibus summo studio, summa facilitate, summa caritate, summa delectatione obsequuntur; sic ab hominibus, qui in terra sunt, & de terra secundum corpus facti sunt; adimpleatur, integerrime, concordissime, tranquille, delectabiliter. Ut non solum spiritu, sed & carne Deo serviamus; & sicut in renovatis per Dei gratiam hominibus spiritus non resistit Deo, sed illi adhæret, ac voluntati ejus obsequitur; ita & corpus non resistat spiritui, sed illi subdatur, & pareat, quod tandem perfecte fiet, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. Tunc enim nulla erit cupiditas, quæ hic tantum minuitur in Sanctis, quantum crescit caritas. Oramus denique, ut quemadmodum in Justis, qui cælorum nomine interdum in Scripturis significantur, sic etiam in peccatoribus, quos terræ nomine quandoque Scriptura secundum allegoriam designat, Dei voluntas fiat: ut Deum partier agnoscant, colant, ejusque mandatis obediant. Hoc triplici sensu vim istius comparationis Patres explicant; quanquam primus litteræ magis congruat.

Ut sicut in justis, sic in peccatoribus, voluntas Dei fiat.

Ita S. Cyprianus, Tractatu de Oratione Dominica: *Fieri autem petimus voluntatem Dei, ut in cælo, & in terra, quod utrumque ad consummationem nostræ incolumitatis pertinet, & salutis. Nam cum corpus e terra, & spiritum possideamus e cælo, ipsi terra, & cælum sumus, & in utroque, idest, & corpore, & spiritu, ut Dei voluntati sumus, & oramus. Est enim inter carnem, & spiritum colluctatio, & discordantibus adversus se invicem quotidiana congressio, ut non qua volumus, ipsa faciamus, dum spiritus cælestia, & divina quærit: caro terrena, & sæcularia concupiscit, & ideo petimus impense inter duo ista, ope, & auxilio Dei concordiam fieri: ut dum & in spiritu, & in carne voluntas Dei geritur, qua per eum renata est, Anima servetur. Quod apertе, atque manifeste Apostolus Paulus sua voce declarat: Caro inquit, concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Hæc enim invicem adversantur sibi, ut non quæ vultis ipsa faciatis ... Et idcirco quotidianis immo continuis orationibus hoc precamur, & in cælo, & in terra voluntatem circa nos Dei fieri: quia hæc est voluntas Dei, ut terrena cælestibus cedant, spiritalia, & divina prævaleant. Potest & sic intelligi, ut quoniam mandat, & monet Dominus etiam inimicos diligere, & pro iis quoque, qui nos persequuntur, orare; petamus & pro illis, qui adhuc terra sunt, & necdum cælestes esse cœperunt, ut & circa illos voluntas Dei fiat, quam Christus hominem conservando, & redintegrando perfecit. Nam cum Discipuli ab eo non jam terra appellantur, sed sal terræ: & Apostolus primum hominem vocat de terra limo, secundum vero de cælo: merito & nos qui esse debemus Patri Deo similes, (qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos,) sic Christo monente oramus & petimus, ut precem pro omnium salute faciamus: ut quemodo in cælo, idest, in nobis per fidem nostram voluntas Dei facta est, ut essemus e cælo; & in terra, hoc est, in illis non credentibus fiat voluntas Dei: ut qui adhuc sunt prima nativitate terreni, incipiant esse cælestes, ex aqua, & Spiritu nati.*

Ita S. Aug. Lib. 2. De Sermone Domini in Monte, cap. 6. Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra: *Idest, sicut est in Angelis, qui sunt in cælis, voluntas tua: ut omnimode tibi adhæreant, teque perfruantur, nullo errore obnubilante sapientiam eorum, nulla miseria impediente beatitudinem eorum. ita fiat in Sanctis tuis, qui in terra sunt, & de terra, quod ad corpus attinet, facti sunt, & quamvis in cælestem habitationem, atque immutationem, tamen de terra assumendi sunt: Ad hoc respicit etiam illa Angelorum prædicatio, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, ut cum præcesserit bona voluntas nostra, qua vocantem sequitur, perficiatur in nobis voluntas Dei, sicuti est in cælestibus Angelis, ut nulla adversitas resistat nostræ beatitudini, quod est pax. Item*, Fiat voluntas tua, *recte intelligitur, Obediatur præceptis tuis*: sicut in cælo, & in terra, *id est, sicut ab Angelis, ita ab hominibus. Est etiam ille intellectus*, Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra, *Sicut in Sanctis, & Justis, ita etiam in peccatoribus. Quod adhuc duobus modis accipi potest: sive ut oremus etiam pro inimicis nostris (Quid enim sunt aliud habendi, contra quorum voluntatem Christianum, & Catholicum nomen augetur?) ut ita dictum sit*, Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra: *tanquam si diceretur, Faciant voluntatem tuam sicut Justi, ita etiam peccatores, ut ad te convertantur. Sive ita*, Fiat voluntas tua sicut in cælo, in terra: *ut sua cuique tribuantur: quod fiet extremo Judicio, ut Justis præmium, peccatoribus damnatio retribuatur, cum agni ab hædis separabuntur. Ille etiam non absurdus, immo & fidei, & spei nostræ convenientissimus intellectus est, ut calum, & terram accipiamus spiritum, & carnem. Et quoniam dicit Apostolus*, Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati; *videmus factam voluntatem Dei in mente, idest, in spiritu: cum autem absorpta fuerit mors in victoriam, & mortale hoc induerit immortalitatem, quod fiet carnis Resurrectione, atque illa immutatione, qua promittitur Justis; fiat voluntas Dei, & in terra, sicut in cælo, idest, ut quemadmodum spiritus non resistit Deo, fequens, & faciens voluntatem ejus, ita & corpus non resistat spiritui, vel anima, qua nunc corporis infirmitate vexatur, & in carnalem consuetudinem prona est, quod erit summa pacis in vita æterna, ut non solum velle adjaceat nobis, sed etiam perficere bonum.* Nunc *enim* Velle, *inquit*, adjacet mihi; perficere autem bonum, non: *quia nondum in terra sicut in cælo, idest, nondum in carne sicut in spiritu, facta est voluntas Dei. Nam & in miseria nostra sit voluntas Dei, cum ea patimur per carnem, qua nobis mortalitatis jure debentur, quam peccando meo nostra natura; sed id orandum est, ut sicut in cælo, ita & in terra fiat voluntas Dei; idest, ut quemadmodum corde condelectamur legi secundum interiorem hominem: ita etiam corporis immutatione facta huic nostræ delectationi nulla pars nostra terrenis doloribus, seu voluptatibus adversetur.* Logatur & Sermone 56. alias 48. De Diversis, item Serm. 57. alias De Diversis 9. Serm. 58. alias 42. inter Homilias 50. & Libro De Dono Perseverantiæ, cap. 3.

Interpretationi priori, quæ magis litteralis est, adhæsit S. Hilarius in Psalm. 134. hujus petitionis sensum esse dicens, *Fac, ut sicut voluntati tuæ in cælis ab indefessis, & cælestibus Virtutibus paretur, ita & a nobis in terra pareatur, ne corporalis nostrorum infirmitas ab exequenda tua voluntate desistat. In cælis enim indefessis quotidie vocibus dicitur: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt cæli, & terra gloria tua. Fac, ut nobis quoque nihil aliud in opere sit, nisi per quod sanctificetur Nomen tuum; Nihil aliud in voluntate, nisi per quod etiam in nos tuum Regnum speramus; nihil aliud in voluntate, nisi per quod tibi Deo nostro æterna a nobis laudes sunt deferendæ.*

Luc. 2. 1. Cor. 15.

Oremus, ut spiritu & carne Deo serviamus.

Rom. 7.

ARTICULUS VII.

Orationis Dominicæ Petitio quarta explicatur. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

TRes priores Petitiones ad vitam æternam pertinent. Quatuor sequentes ad vitam istam peregrinationis nostræ. Quanvis enim Angelis æquales aliquando nos futuros ex Dei misericordia speremus: quia tamen carnales interim, ac mortales sumus, multis corporis, animique subsidiis egentes, donec mortale hoc induerit immortalitatem; ideo cælestis disciplinæ Magister Christus Jesus jubet, ut omnia tam spiritualia, quam temporalia bona ad hanc vitam traducendam necessaria supplices a Deo bonorum omnium Auctore postulemus: inja item omnia, quæ nos a Regni cælestis tramite per Christum ipsum præmonstrato avertere possunt, humiliter deprecemur.

S. Aug. Serm. 57. alias de Diversis 9.

„ Oramus igitur in hunc modum: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Da æterna, da temporalia. Promisisti Regnum, nolit negare subsidium. Dabis apud te sempiternum ornamentum, si dederis in terra temporale alimentum. Duobus autem modis intelligenda est ista petitio de „ pane quotidiano, sive pro necessitate carnalis victus, sive „ etiam pro necessitate spiritualis alimoniæ.

Panis Nomine intelligitur quicquid ad præsentis vitæ subsidium necessarium est.

I. Primum ergo *Panis* nomine hic intelligitur quicquid ad præsentis vitæ subsidium necessarium est, nempe cibus, potus, indumentum, cæteraque omnia, sine quibus commode vivere non possumus. Panis enim nomine cætera, quæ ad corporalem sustentationem pertinent, in Scripturis Sacris sæpe significantur. Gen. 28. *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescen-*

vescendum, & vestimentum ad induendum; reversusque fuero prospere ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, &c. Gen. 43. *Audierant, quod ibi comesturi essent panem.* 4. Reg. 6. *Pone panem, & aquam coram eis, ut comedant, & bibant, & vadant ad dominum suum. Appositaque est eis iborum magna præparatio,* &c. Luc. 14. *Cum intraret Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare panem,* &c. Nec tamen primaria intentio animi nostri ad hæc temporalia ferri debet, quibus a Christo dictum est: *Quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis:* cum enim dixit: *Primum,* significavit, quod hoc *posterius* quærendum sit, *non tempore, sed dignitate;* ut loquitur S. *Aug.* Lib. 2. *de Sermone Domini in Monte,* c. 16. Quanvis porro laborandum sit, ut necessaria temporalis vitæ subsidia nobis procuremus, panem tamen a Deo postulare in dies singulos jubemur, ut agnoscamus illum de manu Dei, ideoque, ejus providentia, & paterna benignitate nos recipere, qui filios suos non reliquit, cum malis etiam provideat, & brutis etiam animantibus dee escam opportuno tempore. Unde Propheta ait; *Junior fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Improbi, qui Deum non timent, nec ex fide vivunt, laboribus suis, industriæ, sollicitudini tribuunt comparata vitæ temporalis subsidia: Justi vero, tametsi labori parcendum non esse sciant, quia ex justa Dei Sententia in sudore vultus nostri parare nobis panem debemus, Deo tamen acceptum referunt quotidianum victum, & quidquid ad vitæ sustentationem opus est. Firmissime enim credunt (ut par est) inanes fore labores nostros, nisi Deus illis benedixerit: quod & experientia comprobatur; siquidem Deo sæpe ob scelera nostra irato fruges in deteriorem segetem degenerant, vel sucrescente agrestium herbarum asperitate opprimuntur, vel nimbis, vento, grandine, uredine, rubigine perculsæ, & prostratæ intereunt; aut salubri nutrienti roborandique corpora nostra virtute quodammodo sunt destitutæ. Quo pertinet illud Isa. 3. *Auferet Dominus a Jerusalem, & a Juda omne robur panis, & omne robur aqua.* Itaque, *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus,* a quo & *imbrem matutinum, & serotinum,* opportunasque frugum nostrarum incrementis, & maturitati tempestates, & solis, aliorumque siderum influxus immitti, atque dispensari fides docet.

Laborandum igitur, sed sine sollicitudine, quam prohibet Christus, dicens, *Nolite solliciti esse dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia Gentes inquirunt.* Labores nostri Dei benedictioni sunt commendandi; qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione. Qui sic in timore Dei laborant, labores manuum suarum cum gaudio cordis, & gratiarum actione manducant, quicunque sunt illorum fructus, ut dona Dei percipientes; cum interim impiis, quorum laboribus Deus non benedicit, vanum sit ante lucem surgere, & quanvis locupletissimi videantur, non manducant sæpe nisi panem doloris.

Docet autem nos Christus *Panem* simpliciter postulare, ut quidquid est superfluæ voluptatis, magis quam necessariæ frugalitatis resecet, intelligamusque nos necessaria duntaxat, non superflua; non exquisitam ciborum copiam, non vestium pompam, non variæ, pretiosæque supellectilis apparatum, & ornamenta quærere debere; ut *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* In quem modum Salomon orabat, dicens: *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria: ne forte satiatus illiciar ad negandum: & dicam: Quis est Dominus? Aut egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei.*

II. *Panem nostrum* a Deo postulamus, ut admoneamur, nos ad necessitatem duntaxat mortalis hujus vitæ sublevandam non ad luxuriam, bona illa temporalia optare, & petere a Deo debere; illaque nobis a Deo dari, ut alamur, & commode sustentemur, quantum vitæ præsentis necessitas, decorumque status nostri exigunt, seu *congruens habitus personæ hominis, quo habitu non sit inconveniens sit, cum quibus honeste, officioseque vivendum est*; ut loquitur S. *Aug.* Epist. 130. alias 121. cap. 7. *Nostrum* etiam appellamus, quod jure a nobis acquirendus sit, non injuria, fraude, furto, aut quibusvis malis artibus parandus. Quæ enim sic parta sunt, non nostra sunt, sed aliena? ac proinde restitutioni obnoxia, adeo ut nec eleemosynam ex illis erogare liceat: *Non enim habet gratiam liberalitas, si injuria perseveret; quia non spolia, sed dona quæruntur,* (inquit S. *Ambrosius.*) *Nostrum* igitur panem dicimus, quem labore nostro, & industria peperimus, adjuvante Dei benignitate; petimus autem a Deo bonam mentem, qua recte partis sobrie, juste, ac pie uti possimus. *Nostrum* denique panem appellamus, quia illum cum pauperibus dividendum accipimus, qua de re legendus S. *Joann. Chrys.* Concione 2. De Lazaro. *Panem nostrum* dicimus, & tamen, ut detur, oramus. *Noster quippe fit, cum accipitur, qui tamen Dei est, quia ab illo datur. Sic justitia nostra dicitur, non qua ex nobis nostra est, sed qua divina largitate fit nostra,* (ait *Sanctus Gregorius,* Lib. 24. *Moralium,* cap. 7.)

III. Panem quotidianum petimus, qua voce frugalis victus, & parabilis intelligitur, non exquisitus; non delicatus; qui naturæ sufficiat, non qui gulæ serviat, deliciasque subministret. Unde hac voce temperantia, & sobrietas commendantur. Damnatur etiam cupiditas eorum, qui domum ad domum conjungunt, & agrum agro copulant usque ad terminum loci, qui divina maledictione apud Isaiam percelluntur. Studium thesaurizandi in terra, divitiasque congregandi, ista voce, *Quotidianum,* Christus damnavit, jubens quod Apostolus prædicavit, ut *Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus.* Nam *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Tollitur præterea sollicitudo, & cura crastini, cum *Panem quotidianum* a Deo petere Christus docet, qui & paullo post hanc legem præscribit: *Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi: ipsi. Sufficit diei malitia sua.* Labor exercendus, anxia sollicitudo deponenda. Jactanda cura super Dominum, & ipse nos enutriet, quo manum aperiente implentur omnia bonitate. Ubi Dominus ait, *Nolite solliciti esse in crastinum,* ad id pertinet, ut temporalia non amemus, neque timeamus, ne nobis desint necessaria, & propter ipsa conquærenda, vel Deo, vel hominibus serviamus; inquit S. *Aug.* Lib. *Contra Adimantum,* cap. 24. Cum fiducia panem nostrum *Quotidianum* a Patre nostro cælesti ut postulemus, necesse est, ut quotidie in ejus cultu, & amore perseverare firmo proposito statuamus. Sic enim implebitur in nobis Propheticum illud Oraculum: *Timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum. Divites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Quanvis enim sæpe pauperes sint justi, cum tamen victum vel in diem habent, & sua sorte sunt contenti, divitibus feliciores sunt. *Pereat avaritia, & divites est natura;* inquit S. *Aug.*

IV. Quotidianum Panem a Deo nobis dari supplicamus, *Da nobis;* ab ejus benignitate duntaxat nos præsentis vitæ subsidia expectare professi. His verbis monentur divites, *Non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum.* Nam & ipsi Mendici Dei sunt. *Profiteris te Mendicum Dei,* (inquit S. *Aug.* Serm. 56. alias *De Diversis* 48.) *Sed nili erubescere. Quantumlibet quis sit dives in terra, mendicus Dei est. Stat mendicus ante domum divitis: sed & ipse dives stat ante domum magni Divitis. Petunt ab illo, & petit. Si non egeret, aures Dei non pulsaret. Et quid egot dives? Audeo dicere, ipso pane quotidiano egot dives. Quare enim abundant illi omnia? Unde, nisi quia Deus dedit? Quid habebit, si Deus subtrahat manum suam? Nonne multi dormierunt divites, & surrexerunt pauperes? Et quod illi non deest, Misericordia Dei est, non potentia ipsius.*

V. Hunc Panem dari nobis *Hodie* rogamus, idest, eo ipso die, quo petimus, vel toto vitæ hujus mortalis decursu. Nullus præterit dies, nulla hora, nullum momentum temporis, quo non indigeamus temporali aliquo subsidio, quod qualecunque sit, nomine panis quotidiani significatum est. Hac voce, *Hodie,* Paupertatem Evangelicam edocemur, quam spiritu, & animo amplecti, affectum a terrenis opibus, & temporalibus bonis abstrahendo, Christianus quisque tenetur. Unde S. *Cyprianus.* Tract. de Oratione Dominica: *Potest vero & sic intelligi,* inquit, *ut qui sæculo renuntiavimus, & divitiae ejus, & pompas sæde gratiæ spiritalis abjecimus; cibum nobis tantum petamus, & victum: quando instruat Dominus, & dicat:* Qui non renuntiat omnibus, quæ sunt ejus, non potest meus discipulus esse. *Qui autem Christi coepit esse discipulus, secundum Magistri sui vocem renuntiani omnibus, diurnum debet cibum petere, nec in longum desideria petitionis extendere ..... Merito Christi discipulus victum sibi in diem postulat, qui de crastino cogitare prohibetur: quia & contrarium sibi sit, & repugnans, si quaramus in sæculo diu vivere, qui petimus Regnum Dei velociter advenire.* Et S. *Aug.* Serm. 56. alias de *Diversis* 48. cap. 6. *Imprudentia est,* inquit, *ut a Deo petas divitias, non est imprudentia, ut petas panem quotidianum. Aliud est unde superbiat, aliud unde vivas.* Hodie petimus, idest, *hoc tempore;* (inquit idem Doctor Ser. 57.) *Cum transierit vita ista, nunquid petemus panem quotidianum? Tunc enim non vocabitur* Quotidie, *sed* Hodie. *Nunc vocatur* Quotidie, *quando transit dies, & venit alius dies. Nunquid vocabitur* Quotidie, *quando erit æternus unus dies?*

VI. Quem *Panem quotidianum* dicimus, ut apud S. Lucam legitur, S. *Hier.* vertit *supersubstantialem:* quam vocem in S. Matthæi Latina Versione servavit Ecclesia. Hujus tamen vocis eadem vis est, ac istius, *Quotidianum.* Dicitur *supersubstantialis,* Græce ἐπιούσιος, idest, substantiæ superadditus, vel super substantiam adjectus ad illam roborandam, conservandam, augendam. Hebraicam vocem hoc verbo expressam, Septuaginta Interpretes, ubicunque in Veteri Testamento occurrit, reddunt ἐπιούσιον: ἐφ' ἑκάστην id est, *præcipuum,* vel *egregium,* ut transtulit *Symmachus.* Quando ergo petimus, ut peculiarem, vel præcipuum nobis Deus tribuat panem, Panem spiritualem petimus, illum scilicet, qui dicit, *Ego sum Panis vivus, qui de cælo descendi.* In Evangelio, quod secundum Hebræos appellabatur, pro supersubstantiali Pane, *crastinum* significari secundum vim Hebraicæ vocis, *Machar,* S. Hier. observat, ut sit sensus: *Panem nostrum crastinum, idest, futurum, da nobis hodie.* Secundum hanc interpretationem ἐπιούσιος est omne id spatium vitæ, quod nobis ementiendum superest, incognitum quidem nobis, Deo autem cognitum, ἐπιούσιον id, quod ei spatio sufficit. Homines plurimi, incerti quandiu victuri sunt, senectutis expectationem avaritiæ prætendunt; & sane quo minus est vitæ, eo plus quæritur viatici. Vult Christus nos Deo hanc curam committere, ut quantum vitæ supereat, tantum nobis suppeditet subsidiorum temporalium. Neque ita tamen, ut poscamus id omne nobis repræsentari. Est enim valde illiberalis animi non credere Deo nisi sub pignore. Quemadmodum igitur filii, & servi qui sunt in potestate Patris-familias, & boni, & sapientis, & divitis, non postulant, ut alimenta in multos annos sibi recondere liceat, sed contenti sunt alimento diurno; ita & Christus abesse volens a precibus nostris tum diffidentiam, tum aviditatem, panem duntaxat in diem postulare nos docuit. Atque hunc sensum confirmant Versiones Orientales. Versio Syriaca: *Da nobis Panem indigentiæ nostræ hodie:* Æthiopica: *Cibum nostrum cujusque diei nostri da nobis hodie.* Persica: *Panem nobis da, qui dies necessarius est.*

VII. *Possumus supersubstantialem Panem & aliter intelligere, qui super omnes substantias sit, & universas superet creaturas;* (inquit S. *Hieronymus* in c. 6. S. Matthæi.) *Nam Panis vita Christus est,* ait S. Cyprianus, & *Panis hic omnium non est, sed noster est: & quomodo dicimus,* Pater noster; *quia intelligentium, & credentium Pater est: sic & Panem nostrum vocamus; quia Christus, noster* (qui Corpus ejus contingimus) *Panis est. Hunc autem Panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo gravore delicto, dum absenti, & non communicantes a cælesti Pane prohibemur, a Christi Corpore separamur, ipse prædicat te, & monente:* Ego sum Panis vitæ, qui de cælo descendi Si quis ederit de meo Pane, vivet in æternum. Panis autem, quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita. *Quando ergo dicit in æternum vivere, si qui ederit de ejus Pane; ut manifestum est eos vivere, qui Corpus ejus attingunt, & Eucharistiam jure communionis accipiunt; ita contra timendum est, & orandum, ne dum quis absentus separatur a Christi Corpore, procul remaneat a salute, comminante ipso, & dicente:* Nisi ederitis Carnem Filii hominis, & biberitis Sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis. *Et ideo Panem nostrum, id est, Christum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus, & vivimus, a sanctificatione ejus & corpore non recedamus.* Quæ verba Sancti Hominis Dei *Perseverantiam prorsus a Domino Sanctos indicant petere, quando hac intentione dicunt,* Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; *ne a Christi Corpore separentur, sed in ea sanctitate permaneant, qua nullum, quo inde separati moreantur crimen admittant;* inquit S. *Aug.* Lib. *De Dono Perseverantiæ* cap. 4.

Et Serm. 58. alias 42. inter Homilias 50. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, Eucharistiam tuam, quotidianum cibum. Norunt enim fideles, quid accipiant, & bonum est eis accipere panem quotidianum hujus tempori necessarium. Pro se rogant, ut boni sinat, ut in bonitate, & fide, & vita bona perseverent. Hoc optant, hoc orant: quia si non perseveraverint in vita bona, separabuntur ab illo Pane. Ergo vivamus, ut ab Altari tuo non separemus.*

VIII. Panis quotidianus, quem a Deo poscimus, verbum etiam Dei Patres interpretantur. S. *Aug.* audiamus Ser. 56. *De Diversis* 48. *Quia,* inquit, *iste panis visibilis, & tractabilis datur & bonis & malis, est panis quotidianus, quem petunt filii. Ipse est sermo Dei, qui nobis quotidie erogatur. Panis noster quotidianus est: inde vivunt non ventres, sed mentes. Necessarius nobis etiam nunc operarius in vinea, cibus est, non merces. Operario enim duas res debet, qui illum conducit ad vineam, cibum, ne deficiat, & mercedem. inde gaudeat. Cibus noster quotidianus in hac terra sermo Dei est, qui semper erogatur Ecclesiæ: merces nostra post laborem vita æterna nominatur.* Et Serm. 57. alias de *Diversis* 9. Et *quod vobis tracto,* inquit, *Panis quotidianus est; & quod in Ecclesia lectiones quotidie audistis, panis quotidianus est; & quod hymnos audistis, & dicitis, panis quotidianus est. Hæ enim sunt necessaria peregrinationi nostræ. Nunquid illuc quando venerimus, eadem sumus audituri? Ipsum verbum visuri, ipsum verbum audituri, ipsum manducaturi, ipsum bibituri, quomodo Angeli modo. Nunquid Angelus codices sunt necessarii, aut disputatores, aut lectores? Absit. Videndo legunt; videnti enim ipsam Veritatem, & illo fonte satiantur, unde nos irrogamur.*

Quanta reverentia audiendum sit Christi verbum, docet S. *Cæsarius,* Serm. 95. in Appendice Augustiniana 300. *Quid vobis pluz esse videtur,* inquit, *verbum Dei, an Corpus Christi? Si verum vultis respondere, hoc utique dicere debetis, quod non sit minus verbum Dei, quam Corpus Christi. Et ideo quanta sollicitudine observamus, quando nobis Corpus Christi minis-*

stratur, ut nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat; tanta sollicitudine observemus, ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus, aut loquimur, de corde nostro depereat; quia non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quam ille, qui Corpus Christi in terram cadere negligentia sua permiserit.

Panis noster quotidianus, quem assidue desiderare, & petere a Deo debemus, justitia est: *Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam.* Justitia porro Christus est, *Qui factus est nobis justitia, & sapientia.* Cibus est, qui reficit, nec deficit; qui sumitur, & non consumitur, qui esurientes satiat, & integer manet. Hunc cibum manducant, qui pie Dei verbum audiunt. Sed *Bene manducat, & male digerit, qui audit verbum Dei, & non facit: non enim dulcis utilem sucum, sed crudum ructat indigestione fastidium;* inquit S. *Aug.* Sermone 28. alias 7. editorum ex Carthusiæ Miss. Incælis *Non erit aliquis Magister verbi, sed Magister Verbum.* In terris autem etsi alius sit Prædicator verbi, alii auditores? *Intus tamen ubi nemo videt, omnes auditores sumus, & omnes & foris, & intus in conspectu Dei factores esse debemus. Unde intus factores?* Quia qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. *Et potest esse mœchus nullo hominum vidente, sed Deo puniente. Quis est ergo intus factor? Qui non ad concupiscendum videt. Quis est foris factor?* Frange panem tuum esurienti. *Hoc enim cum sit, videt & proximus; sed quo animo sit, non videt nisi Deus.* Istote ergo factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vos metipsos: *Non Deum, non eum, qui prædicat. Ego enim, vel quisquis vobis prædicat verbum, cor vestrum non videt: quid agatis intus in cogitationibus vestris, judicare non potest. Quia bono non potest, intuetur Deus, cui cor humanum non potest occultari. Ipse videt, quo studio audis, quid cogites, quid teneas, quid proficias de supplementis tuis, quam instanter ores, quemadmodum deprecaris Deum, ex eo quod non habes; quomodo gratias agas ex eo, quod habes; ille novit, qui exacturus est.* Verba sunt S. *Aug.* Serm. 179. alias de *Diversis* 27. Pane illo cœlesti pasci debent, eoque pariter indigent & illi, qui erogant. Nam (ut ibidem, ait S. Augustinus.) *Verbi Dei inanis est forinsecus Prædicator, qui non est intus auditor.*

IX. Panis denique quotidiani nomine, quem a Deo postulamus, intelliguntur omnia subsidia spiritualia, quæ Animæ nostræ necessaria sunt in dies, sive *Gratia quotidiana,* ut vocat *Innocentius I.*

ARTICULUS VIII.

Orationis Dominicæ Petitio quinta explicatur:

Et dimitte nobis debita nostra, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

I. PEccata nostra *debita* vocantur, quod illis tanquam ære alieno obstricti Divinæ Justitiæ teneamur. Unde *Luc.* c. 11. eadem Petitio his verbis enuntiatur: *Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis.* Cum enim vero peccando abstulerit homo debitum honorem, & obedientiam Deo, ejus legem violaverit, Divinæ Majestati irrogaverit injuriam, ipsi satisfacere debet per Pœnitentiam, aut pœnas invitus dare. *A Deo* quippe *accipit natura peccatrix, ut sit misera, si non rectum fecerit; & beata, si fecerit. Quia enim nemo superat Leges Omnipotentis Creatoris, non sinitur Anima non reddere debitum. Aut enim reddit bene utendo, quod accipit; aut reddit amittendo, quo bene uti noluit. Itaque si non reddit faciendo justitiam, reddet patiendo miseriam, quia in utroque verbum illud debitis sonat. Hoc enim etiam modo dici potuit, quod dictum est, si non reddit faciendo, quod debet, reddet patiendo, quod debet. Nullo autem temporis intervallo ista dividuntur, ut quasi alio tempore non faciat, quod debet, & alio patiatur, quod debet, nec vel puncto temporis universalis pulchritudo turpetur, ut sit in ea peccati dedecus sine decore vindictæ. Sicut enim, qui non vigilat, dormit: sic qui que non facit quod debet, sine intervallo patitur, quod debet: quoniam tanta est beatitudo justitiæ, ut nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere;* inquit S. *Aug.* Igitur, statim atque peccavit homo, pœnæ obnoxius est satisfactioni; statim divinæ justitiæ debitor est. Omne peccatum est iniquitas, pro qua justitiæ lege satisfieri debet, aut pœna dari. Quocirca peccata debita nuncupantur, & debitis assimilantur *Matt.* 18. proposita parabola servi, qui Domino suo debebat decem millia talenta, quod debitum dominus liberaliter dimisit, & alterius, cui conservus debebat centum denarios, quos ille immisericorditer exegit. Et Christus de hominibus illis decem, & octo, super quos cecidit turris in Siloe ait, Luc. 13. *Putatis quia & ipsi debitores fuerint prater omnes homines habitantes in Jerusalem? Non dico vobis: sed si Pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Hinc S. *Cæsarius* Arelatensis Episcopus Viduam ære alieno obstrictam, cujus oleum Miraculo auxit Elisæus, ut debita solveret, Ecclesiæ per Christum a debitis peccatorum liberatæ figuram fuisse ait, Ser. 23. in Augustiniana Append. 47. alias de Temp. 206. *Vidua ista,* inquit, *debitum grave contraxerat, non solidorum, sed peccatorum. Debitum habebat, & creditorem*

Isa. 50. *crudelissimum sustinebat: quia se diabolo multis peccatis obnoxiam fecerat, Sic enim & Prophæta prædixit.* In peccatis vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisit matrem vestram. *Vidua ergo illa pro tam grandi debito captiva quodammodo tenebatur: captiva erat, quia Redemptor nondum venerat. Sed posteaquam Viduam istam verus Redemptor Christus Dominus visitavit, ab omnibus debitis liberam fecit. Unde enim illa Vidua liberata sit, videamus. Unde, nisi de augmento olei? In oleo Misericordia intelligitur. Ergo Vidua illi ideo debitum creverat, quia oleum misericordiæ peccando perdiderat. Defecit oleum, & debitum crevit; crevit oleum, & periit debitum; creverat cupiditas, & perit caritas; redit caritas, & perit iniquitas. Veniente vero Eliseo Christo Domino, Vidua, hoc est, Ecclesia, per augmentum olei, idest, donum gratiæ, & misericordiæ, vel caritatis pinguedine, de peccatorum debito liberatur.* De isto debito Christus Dominus ore Prophetæ locutus est. *Qua non rapui, inquit, tunc exsolvebam.* Ex qua Salvatoris Sententia intelligitur, non solum nos debitores esse, sed etiam non esse solvendo; cum peccator per se satisfacere nullo modo possit. Quare congruendum nobis est ad Dei misericordiam, & ad virtutem, ac meritum Passionis Jesu Christi, a qua omnis satisfaciendi vis, & ratio, tanquam ex fonte profluxit, & sine qua nemo unquam veniam peccatorum impetravit. Pretium igitur illud incomparabile a Christo Domino in cruce persolutum, ubi Sanguine suo delevit chirographum, quod erat contrarium nobis, applicari nobis a Dei misericordia rogamus his verbis: *Dimitte nobis debita nostra.* Ad Deum tanquam ad Patrem, non quasi ad Judicem confugimus, a quo ut non ex Justitia nobiscum agat, sed ex Misericordia, postulamus. Si enim iniquitates observaverit, quis sustinebit? Sed apud ipsum misericordia est, & copiosa redemptio. Oramus, inquam, ut non intret in judicium cum servis suis, sed ineffabilem misericordiam suam clementer ostendat, qua simul nos, & a peccatis omnibus exuat, & a pœnis, quas pro his meremur, eripiat; ut alias etiam orat Ecclesia.

Psalm. 8.

Confiteri debemus nos omnes reos esse Deo peccatorum plurimorum.

II. Ut autem petitionis istius fructum consequamur, agnoscere, & confiteri debemus in primis nos omnes reos esse Deo peccatorum plurimorum, in quæ quotidie labimur, Neminem enim, Christo, & Delpara Virgine excepta, aliquando fuisse, esse, aut futurum esse its perfecte justum, ut sine peccato fuerit, sit, vel futurus sit in hac vita, quæ tentatio est super terram, Dogma Fidei est, verbo Dei firmatum. 3. Reg. 8. *Non est homo, qui non peccet.* Ps. 142. *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Ps. 13. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Eccl. 7. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Prov. 20. *Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Et c. 24. *Septies enim cadit justus, & resurget.* Jerem. 2. *Dixisti, absque peccato & innocens ego sum: & propterea avertatur furor tuus a me. Ecce ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris, Non peccavi.* Jacobi 3. *In multis offendimus omnes.* 1. Jo. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Hoc fidei dogma confirmant Patres; inter alios *S. Hieron.* in Epist ad *Ctesiphontem*, & *S. Aug.* Lib. 2. *De Peccatorum Meritis, & Remissione*, cap. 10. & sequentibus usque ad 17. lib. *De Natura, & Gratia*, c. 34. 36. 60. libro *De Gratia Christi*, c. 48. & 49. lib. 4. Contra duas Epistolas Pelagianorum, c. 10. & toto libro *De Perfectione justitiæ hominis.* Sic habet lib. *De Natura, & Gratia*, c. 36. *Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habiti volo quæstionem... si omnes alios Sanctos, & Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, utrum hoc, quod iste dicit (scilicet Pelagius) an quod Joannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet floruerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si de hoc interrogari potuissent, nonne una voce clamassent,* Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est? *An illud humilius fortasse responderent, quam verius? Sed huic jam placet, & recte placet,* Laudem Humilitatis in parte non ponere falsitatis. *Itaque hoc si verum diceret, haberent peccatum; quod humiliter, quia faterentur, veritas in eis esset: si autem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum, quia veritas in eis non esset.*

Pelagianorum argumentis respondetur.

III. Objiciebant Pelagiani multa Scripturæ testimonia, quibus Deus homines ad sanctimoniam, & perfectionem adhortatur, & illud Davidis: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in Monte Sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam.*

Psalm. 14.

Respondet *S. Augustin.* Lib. *de Perfectione Justitiæ*, cap. 9. Horum testimoniorum aliqua currentes exhortari, ut perfecte currant, aliqua ipsum finem commemorare, quo currendo pertendant. *Ingredi autem sine macula non absurde etiam ille dicitur, non qui jam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis. Ingressum quippe, hoc est, iter profectum, quo tendimus ad perfectionem, munda mundat oratio. Munda est autem oratio, ubi veraciter dicitur.* Dimitte nobis; sicut & nos dimittimus: *Ut dum non reprehenditur; quod non imputatur: sine reprehensione, hoc est, sine macula, noster ad perfectionem cursus habeatur: in qua perfectione, cum ad eam venerimus, jam non sit omnino, quod ignoscendo mundetur.*

IV. Objiciebant verba illa, quæ de *Zacharia* pater Joannis Baptistæ, & uxore ejus *Elisabeth* scripta sunt Lucæ 1. *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela*; quibus significari videtur, utrumque sine peccato vixisse.

Respondet *S. Aug.* Lib. 2. *de Peccatorum Meritis*, c. 13. & Lib. *de Perfectione Justitiæ*, c. 17. Zachariam, & Elisabeth justos dici, quia eminentis erant pietatis, quicquid eis inerat justitiæ, non erat ad homines simulatum, ideo dictum est, *Ante Deum*; hinc tamen recte non colligi, sine ullo peccato perfectam illos habuisse justitiam. Solus Christus *Pontifex est sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus: qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro Populi.* In hoc Sacerdotum numero Zacharias, in hoc Phinees, in hoc ipse Aaron, a quo iste ordo exortus est, fuit, & quicunque alii in illo Sacerdotio laudabiliter, justeque vixerunt; qui tamen habebant necessitatem Sacrificium primitus pro suis offerre peccatis, solo Christo existente, cujus venturi figuram gestabant, qui hanc necessitatem Sacerdos inconcussibilis non haberet. Itaque omnes quicunque in hac vita Divinarum Scripturarum testimoniis in bona voluntate, atque actibus justitiæ prædicati sunt, & quicunque tales, vel post eos fuerunt, quamvis non eisdem testimoniis prædicati, atque laudati, vel nunc usque etiam sunt; vel postea quoque futuri sunt, omnes magni, omnes justi, omnes veraciter laudibiles sunt, sed sine peccato aliquo non sunt: quoniam Scripturarum testimoniis, quibus de illorum laudibus credimus, hoc etiam credimus, *Non justificari in conspectu Dei omnem viventem: ideo rogari ne intret in judicium cum servis suis: & non tantum universaliter fidelibus omnibus, verum etiam singulis esse orationem Dominicam necessariam, quam tradidit Discipulis suis.* Denique aliud est esse *sine peccato*, quod de solo in hac vita Unigenito dictum est, aliud esse *sine querela*, quod de multis justis etiam in hac vita dici potuit: quoniam est quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam in ista humana conversatione justa querela esse non possit. Quis enim juste queritur de homine, qui nemini male vult, & quibus potest, fideliter consulit, nec contra cujusquam injurias tenet libidinem vindicandi; ut veraciter dicat, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?* Et tamen eo ipso, quo verum dicit, *Dimitte, sicut & nos dimittimus*, sine peccato se non esse declarat.

S. Augustin. lib. 2. de Peccator. Merit. c. 14.

V. Neque favent Pelagianis verba illa Job 23. *Vias ejus custodivi, & non declinavi a mandatis ejus, neque discedam.* Ut enim respondet *S. August.* Lib. *De Perfectione Justitiæ*, c. 11. *Custodivit vias Dei, qui non sic exorbitat, ut eas relinquat, sed in eis currendo proficit; etsi aliquando ut infirmus offendit, aut titubat; proficit autem minuendo peccata, donec perveniat ubi sine peccato sit. Non enim aliter potest eo modo proficere, nisi custodiendo vias ejus. Declinat autem a mandatis Domini, atque discedit Apostata; non ille, qui etiamsi habeat peccatum, configendi tamen cum eo perseverantiam non relinquit, donec eo perveniat, ubi nulla cum morte contentio remanebit.*

Job. 23.

VI. Non favent etiam Pelagianis verba illa Job 27. *Non enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Ut enim idem observat *S. Aug. Tunc nos in ista vita, in qua ex fide vivimus, non reprehendit cor nostrum, si eadem fides, qua corde creditur ad justitiam, non negligit reprehendere peccatum nostrum. Unde dicit Apostolus*, Non enim quod volo, facio bonum, sed quod odi malum, hoc ago. *Bonum est enim non concupiscere, & hoc bonum vult justus, qui ex fide vivit & tamen facit, quod odit, quia concupiscit, quamvis non concupiscentias suas non eat... Ideo non eum reprehendit cor ejus in omni vita ejus; hoc est in fide ejus, quia Justus ex fide vivit; & ideo fides ejus est vita ejus. Scit enim quia non habitat in carne ejus bonum, ubi habitat peccatum: sed non ei consentiendo vivit ex fide, quia invocat Deum, ut adjuvetur pugnans contra peccatum; quod ut omnino ibi non sit; adjacet ei velle, sed perficere bonum non adjacet. Non facere bonum non adjacet, sed perficere. Nam in eo, quod non consentit, bonum facit & in eo quod odit concupiscentiam suam, bonum facit; & in eo, quod eleemosynas facere non cessat, bonum facit; & in eo quod illi qui in eum peccat, ignoscit bonum facit; & in eo quod petit sibi dimitti debita sua, & veraciter dicit quod dimittit etiam ipse debitoribus suis, & orat, ut ne inferatur in tentationem, sed liberetur a malo, bonum facit. Et tamen perficere bonum non adjacet, quod tunc erit, quando illa concupiscentia, qua habitat in membris ejus, nulla erit. Non ergo eum reprehendit cor ejus, quando reprehendit peccatum, quod habitat in membris ejus, & non habet, quam reprehendat, infidelitatem ejus. Ita nec in vita sua, idest, in fide sua, a corde suo reprehenditur, & sine peccato non esse convincitur. Quod & ipse Job de se confitetur, ubi dicit: Nihil te latuit peccatorum morum. Signasti iniquitates meas in sacculo, & annotasti, si quid invitus transgressus sum.*

Matth. 6.

Job. 14.

VII. Ob-

VII. Objiciebant Pelagiani verba illa Tobiæ: *Noli timere fili, pauperem vitam gerimus; sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bona.*

Tob. 4.

Respondet *S. Aug.* Lib. *De Perfectione Justitiæ*, cap. 13. In hac mortali vita dici non posse, quod hominum aliquis recesserit ab omni peccato, sed solum in altera. Hic justi proficiunt, illic perfecti erunt, & in illa perfectione bonorum omnium cumulo perfruentur. *Verissime*, inquit, *tunc erunt homini multa bona, cum recesserit ab omni peccato. Tunc enim ei nulla erunt mala, ut opus habeat dicere*, Libera nos a malo. *Quamvis, & nunc omnis, qui proficit, recta intentione proficiens, recedit ab omni peccato, & tanto inde fit longinquior, quanto plenitudini justitiæ, perfectionique propinquior, quia & ipsa concupiscentia, quod est peccatum habitans in carne nostra, ea si manet adhuc in membris mortalibus, minui tamen non desinit in proficientibus. Aliud est ergo recedere ab omni peccato, quod nunc est in opere; aliud esse recessisse ab omni peccato, quod in illa perfectione tunc erit.*

VIII. Objiciebant Pelagiani illud 1. Joannis 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.*

Respondet *S. Aug.* Eum, qui ex Deo natus est, ea ratione nullum prorsus peccatum, sive mortale, sive veniale admittere, quamvis in peccata venialia interdum labatur, quatenus ex carne, & sanguine natus est. *Secundum id*, inquit, *quod ex Deo nati sumus, in eo, qui apparuit, ut peccata tolleret, idest, in Christo, manemus, & non peccamus; hoc est autem, quod homo interior renovatur de die in diem: secundum autem, quod de homine illo nati sumus, per quem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, sine peccato non sumus, quia sine illius infirmitate nondum sumus, donec illa renovatione, quæ fit de die in diem, quoniam secundum ipsam ex Deo nati sumus, infirmitas tota salvetur, in qua ex primo homine nati sumus, & in qua sine peccato non sumus: cujus reliquiis in homine interiore manentibus, quamvis de die in diem minuantur in proficientibus*, Si dixerimus, *quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Quamobrem in quantum Deo nostro fide, spe, & caritate connectimur, & eum, in quantum possumus, imitamur, non peccamus, sed filii Dei sumus. In quantum autem ex occasione carnalis infirmitatis, quia nondum morte resoluta, nondum Resurrectione mutatæ sit, motus reprehensibiles improbique subrepunt, peccamus. Quod utique fateri nos convenit, ne dura cervice non languoris nostri sanitatem, sed damnationem superbia mereamur. Unde utrumque verissime scriptum est, &*, Qui natus est ex Deo, non peccat. Etsi dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos decipimus, & veritas in nobis non est. *Illud enim ex primitiis novi hominis, hoc ex reliquiis veteris dictum est: utrunque enim agimur in hac vita. Paulatim autem novitas accedit, & paullatim vetustate cadente succedit. Cum vero utrunque agitur, in stadio sumus: nec solum persecutimus Adversarium bonis operibus, sed etiam peccata incautius vitando persecutimur.* Verba sunt *S. Aug.* Serm. 351. alias 50. inter Homilias 50.

Nec venialia tantum, seu levia, sed gravia, mortaliaque peccata committere potest, qui ex Deo natus est; illa quidem manendo in statu justitiæ, ista vero excidendo a felici illo statu, & gratia adoptionis filiorum Dei. Hæc explicatio doctrinæ Patrum consentanea est. *Tertull.* Lib. *de Pudicitia*, c. 19. ubi duo distinxit genera delictorum, quædam quotidianæ incursionis, quibus omnes sumus obnoxii; alia graviora, & exitialia, qualia sunt idololatria, negatio, blasphemia, homicidium, fraus, mœchia, & si qua alia violatio Legis Dei, subdit: *Hæc non admittet omnino, qui natus ex Deo est; non futurus Dei filius, si admiserit.* Et *S. Aug.* Lib. 1. Contra *Gaudentium* Donatistam, cap. 30. ait: *Quod non potest juste, non potest justus: quoniam hoc quidem deserendo prius amittit justitiam, ut quod non potest justus, possit injustus.* Et Lib. 83. quæstionum, q. 66. exponens illa verba Apostoli. *Prudentia carnis Legi Dei non est subjecta, nec enim potest*, ait hæc verba idem significare, ac si diceretur: Nix non calefacit, nec enim potest. Quandiu scilicet nix est, non calefacit; sed resolvi potest, & fervere, ut calefaciat: sed cum hoc facit, jam nix non est. Sic Anima Deo subjecta esse non potest, quandiu pro magnis & spiritualibus bonis temporalia bona concupiscit, quæ prudentia carnis est: sed Deo subjecta erit, cum spiritualia bona desiderare cœperit, & temporalia contemnere, quæ prudentia est spiritus. Ita qui ex Deo natus est, non peccat, sed nec peccare potest lethaliter, quatenus ex Deo natus; cum autem peccabit eo genere peccati, quod caritatem extinguit, filius Dei esse desinet. Et hæc quidem expositio gemina est illi, qua similes Scripturæ Sacræ Sententiæ necessario exponendæ sunt, & vulgo a Sacris Interpretibus exponuntur; ut illa Christi Domini sententia, Matth. 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere*; cujus sensus est, Non posse bonam voluntatem, quatenus bona est, & in sua integritate permanet, mala opera edere: quamvis ab illo statu mutari possit, & malos fructus, sive mala opera producere, cum depravata fuerit, & in arborem malam degeneraverit. Sic exponitur & illa Sententia Apostoli 1. ad Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea, qua sunt Spiritus Dei; Stultitia enim est illi, & non potest intelligere.* Sensus est, non posse intelligere, quamdiu animalis manet, & sensibus, atque cupiditatibus addictus est; quamvis facile intelligat, si in virum spiritalem evaserit.

Habeae.

IX. Objiciebant Pelagiani omnia Scripturæ testimonia, quibus probatur esse præceptum homini, ut sine peccato sit: non esset porro præceptum, si esset impossibile.

Respondet *S. Aug.* Lib. *de Perfectione Justitiæ*, cap. 8. Id esse revera præceptum hominibus nec tamen sequi, quod impleri possit in corpore mortis hujus, ubi caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. *Quamdiu ergo peregrinantes a Domino per fidem ambulamus, non per speciem, unde dictum est*, Justus ex fide vivit; *hæc est nostra in ipsa peregrinatione justitia, ut ad illam perfectionem, plenitudinemque justitiæ, ubi in specie decoris ejus jam plena, & perfecta caritas erit, nunc ipsius cursus rectitudine, & perfectione tendamus, castiganda corpus nostrum, & servituti subjiciendo, & eleemosynas in dandis beneficiis, & dimittendis, qua in nos sunt commissa, peccatis, hilariter, & ex corde faciendo, & orationibus indesinenter instando: & hac faciendo in doctrina sana, qua ædificatur fides recta, spes firma, caritas pura. Hæc est nunc nostra justitia, qua currimus ut sequentes, & sectantes ad perfectionem, plenitudinemque justitiæ, ut ea postea saturemur.* Sed quia in his ipsis operibus justitiæ quædam labeculæ subrepunt tanto magis, quanto minus quisquam labeculæ subrepunt tanto magis, quanto magis profecerit, *Merito in oratione dicimus*, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, *Si tamen, quod dicimus, & faciamus, ut vel ipsi etiam diligantur inimici; vel si quisquam adhuc in Christo parvulus hoc nondum facit pœnitenti, tamen, quod in eum quisque peccavit, & veniam petenti, ex intimo cordis ingemiscat, si vult, ut ejus oratio nem Pater cælestis exaudiat. In qua oratione, si contentiosi esse nolumus, satis nobis propositum speculum est, ubi in specie vita Justorum, quia ex fide vivunt, & perfecte currunt, quamvis sine peccato non sint. Unde dicunt*, Dimitte nobis, *quia nondum, quo curritur, pervenerunt.* Præceptum certe dilectionis Dei nonnisi in futura vita perfectissime implebitur, cum nulla lex erit in membris repugnans legi mentis. Tunc prorsus toto corde, tota anima, tota mente Justus diliget Deum, quod est primum, summumque Præceptum. *Cur ergo non præciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? Non enim recte curritur, si quo currendum est, nesciatur. Quomodo autem fieretur, si nullis Præceptis ostenderetur?*

S. Th. 2. 2. q. 100. art. 8.

Psalm. 24.

Joan. 8.

1. Petri 2.

Matth. 9.

Psal. 30.

X. Verum (inquies) Deus vult hominem esse sine peccato: itaque sine peccato esse potest. Deinde, nisi Justi vitare possent omnia peccata venialia, libere non peccarent. Tandem sequeretur, peccandi necessitatem quamdam hominibus etiam Justis inesse.

Respondetur, Velle quidem Deum Optimum Maximum; ut homo sit sine peccato, & inde sequi, quod sine peccato esse possit, partim in hac vita, partim in altera; in hac quidem sine peccato quovis damnabili, & mortali, & sine plurimis venialibus; non tamen sine omni prorsus peccato veniali. Interior enim homo noster renovatur de die in diem divinæ gratiæ beneficio sanantis infirmitates nostras; sed tamen perfectam sanitatem hic non consequimur. *Tunc ergo erit perfecta justitia, quando plena sanitas, tunc plena sanitas, quando plena caritas; Plenitudo enim legis caritas; tunc autem plena caritas, quando videbimus eum sicuti est. Neque enim erit, quod adjutor ad dilectionem, cum fides perventa ad visionem;* (inquit, *S. Aug.* Lib. *de Perfectione Justitiæ*, cap. 3.)

Possunt autem Justi vitare singula peccata venialia, quod sufficit, ut libertime peccent, quamvis omnia vitare non valeant, ut docet Theologorum Princeps. *Non potest*, inquit, *homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis: cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest; non autem omnes. Quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit: & etiam quia ratio non potest semper esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos.*

Cuidam revera peccandi veniabiliter necessitati hypothetice, & mortali Justos esse obnoxios, quandiu in corpore mortis hujus versantur, non dissentiendum est, quæ tamen necessitas cum humana libertate facile cohæret, ut explicat *S. Aug.* Libro *de Perfectione Justitiæ*, cap. 4. *Respondetur*, inquit, *per arbitrii libertatem factum, ut esset homo cum peccato; sed jam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate facit necessitatem. Unde ad Deum fides clamat*, De necessitatibus meis educ me. *Sub quibus positi, vel non possumus, quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus, volumus, nec valemus implere. Nam & ipsa libertas credentibus a Liberatore promittitur.* Si vos (inquit) Filius liberavit, tunc vere liberi eritis. *Victa enim vitio, in quod cecidit, voluntate, caruit libertate naturæ. Hinc alia Scriptura dicit*, A quo enim quis devictus est, huic & servus adductus est. *Sicut ergo non est opus sanis Medicus, sed male habentibus: ita non est opus liberis Liberator, sed servis, ut ei dicat gratulatio libertatis.* Salvam fecisti de necessitatibus animam meam. *Ipsa enim sanitas est vera libertas, qua non periisset, si bona permansisset voluntas. Quia vero peccavit voluntas, secuta est peccanti*

peccatum habendi dura necessitas, donec tota sanetur infirmitas, & accipiatur tanta libertas, in qua sicut necesse est, permaneat beate vivendi voluntas, ita ut sit etiam bene vivendi, & nunquam peccandi voluntaria, felixque necessitas.

XI. Objiciebant Pelagiani, Deum juste non imputare peccata, si vitari non omnia possint.

Respondet *S. Aug.* Lib. *De Perfectione Justitiæ*, c. 6. Deum non imputare peccata his, qui fideliter ei dicunt, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*
Matth. 7. Et juste non imputat, quia justum est, quod ait: *In qua mensura mensi fueritis, in eadem remetietur vobis.* Peccatum est autem, *cum vel non est caritas, quæ esse debet, vel minor est quam debet, sive hoc voluntate vitari potest, sive non potest: quia si potest, præsens voluntas hoc facit: si autem non potest, præteritas voluntas hæc facit, & tamen vitari potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adjuvatur.*

XII. Pelagianorum errorem, quo contendebant, esse in hac vita vel fuisse justos nullum omnino habentes peccatum, refellit rursus *S. Aug.* Lib. 4. ad *Bonifacium* c. 10. testimoniis luculentissimis *SS. Cypriani*, & *Ambrosii*. Illud *S. Cypriani* prætermittere non possum in Tractatu de Oratione Dominica: *Post subsidium cibi* (inquit) *petitur & venia delicti, ut qui a Deo pascitur, in Deo vivat, nec tantum præsenti, & temporali vita, sed & æterna consulatur, ad quam veniri potest, si delicta donentur, quæ debita Dominus appellat, sicut in Evangelio suo dicit:* Dimisi tibi omne debitum, quia me rogasti. *Quam necessarie autem, quam providenter, & salutariter admonemur, quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, ut dum indulgentia a Deo petitur, conscientiæ sua animus recordetur: Ne quis sibi quasi innocens placeat, cum innocens nemo sit, & se extollendo, plus pereat: instruitur, & docetur peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Sic denique & Joannes in Epistola sua monet dicens:* Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & justus est Dominus, qui nobis peccata dimittat. *In Epistola sua utrunque complexus est; quod & rogare pro peccatis debeamus, & impetremus indulgentiam, cum rogamus. Ideo & fidelem dixit Dominum ad dimittenda peccata? fidem pollicitationis suæ reservantem. Quia qui orare nos pro peccatis sit, & debitis docuit, paternam misericordiam promisit, & veniam secuturam.*

XIII. Africana denique Synodus a Sede Apostolica confirmata, Pelagianum errorem, Catholicæ, quam expostuimus, Veritati contrarium damnavit Canonibus 6. 7. & 8. ex iis, qui Synodi Milevitanæ nomine inscribuntur. Octavus his verbis conceptus est, *Quicunque verba Dominica Orationis, ubi dicimus*, Dimitte Nobis debita nostra, *ita volunt a Sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hæc dicatur; Anathema sit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, & corde dicit, Quæ dimittantur, se debita non habere?*

Idem dogma firmavit Sacra Synodus Tridentina, sess. 6. Can. 23. cujus hæc sunt verba: *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque adeo eum, qui labitur, & peccat, nunquam vere fuisse justificatum; aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, sine speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia; Anathema sit.*

XIV. His itaque Orationis Dominicæ verbis, *Dimitte nobis debita nostra*, nos peccatores, non solum humiliter, sed etiam veraciter confitemur. Quod autem rogamus, *Dimitte nobis*, admonemur in hoc fraternæ caritatis, ut non minore mentis fervore, ac devotione petamus proximis nostris delicta sua ignosci, quam nobis nostra condonari supplicamus. Quim & majori, ac ferventiori caritate veniam aliis rogasse Sancti videntur, quam sibi, fusæque saluti pene fuisse immemores, ut aliorum salutem procurarent, atque a Deo precibus impetrarent. Hoc Spiritu cariatis accensus Sanctus Rom. 9. Paulus pro Israelitarum salute orabat: *Veritatem* (inquit) *dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu Sancto; quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ.* Eodem Spiritu Exod. 30. Moyses orabat pro Populo idololatriæ reo. *Obsecro* (inquit:) *peccavit Populus iste peccatum maximum, fecerunt que sibi Deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Dicimus autem Debita Nostra, longe aliter, ac diximus antea, *Panem nostrum*. Noster enim ille est panis, quia nobis Dei munere tribuitur: sed nostra sunt peccata, quia in nobis sunt ex nobis ipsis, & non a Deo; quo auctore nemo sit deterior.

S. Aug. ser. 58. alias 22. Inter Hom. 50, Luc. 18. *Dimitte nobis debita nostra*, dicimus, & dicamus, quia verum dicimus. Quis enim hic vivit in carne, & non habet debita? Quis est homo sic vivens, ut ei non sit ista oratio necessaria? Inflare se potest, justificare non potest. Bonum est illi, ut imitetur Publicanum, nec tunescat sicut Pharisæus, qui ascendit in Templum, & jactavit merita sua, tacuit vulnera sua. Ille autem scivit, quare ascenderit, qui dicebat: *Domine, Propitius esto mihi peccatori.* Hoc Dominus Jesus orare docuit Discipulos suos, illo magnos primos Apostolos suos, arietes nostros. *Si ergo pro peccatis suis dimittendis arietes erant, agni quid debent facere, de quibus dictum est,* Aiterte Domino filios arietum? *Remissio peccatorum una est, qua semel datur, alia, qua quotidie datur. Remissio peccatorum una est, qua semel datur in Sancto Baptismate; alia, qua quandiu vivimus hic, datur in Dominica Oratione;* propter quod dicimus, *Dimitte nobis debita nostra.* Et baptizati sumus, & debitores sumus, non quia aliquid remansit, quod nobis in Bapti mo non dimissum fuerit: sed quia vivendo contrahimus, quod quotidie dimittatur. *Qui baptizantur, & exeunt, sine debito ascendunt, sine debito pergunt. Qui autem baptizantur, & tenentur in hac vita, de fragilitate mortali contrahunt aliquid, unde etsi non naufragetur, tamen oportet ut sentinetur. Quia si non sentinatur, paullatim ingreditur, unde tota navis mergatur. Et hoc orare, sentinare est. Non tantum autem debemus orare, sed & eleemosynam facere, quja quando sentinatur, ne navis mergatur: & vocibus agitur, & manibus. Vocibus agimus, cum dicimus,* Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Manibus autem agimus, cum facimus.* Frange esurienti panem tuum, & egenum sine tecto induc in domum tuam. Isai. 58. Inculde eleemosynam in corde pauperis, & ipsa pro te exorabit ad Dominum. *Dimisit ergo peccatis omnibus per Lavacrum Regenerationis, in magnas angustias contrusi fuerimus, si non nobis daretur quotidiana mundatio sanctæ orationis.* Verba sunt *S. Aug.* Sermone 56. alias *De Diversis* 28.

XV. Peccata ergo quotidiana, & levia Dominica Oratione mundantur, si omnino displiceant, eorumque deponatur affectus, nec ore duntaxat, sed animo vere pœnitenti dicamus Deo, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus.* Unde *S. Aug.* in *Enchiridio*, cap. 71. ait: *De quotidianis brevibus; levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum enim est dicere*, Pater noster, qui es in cœlis, *qui jam Patri tali renegenerati sunt ex aqua, & Spiritu. Delet omnino hæc oratio minima, & quotidiana peccata.* Gravia vero, mortiferaque peccata, quæ ab Apostolo, & a Patribus crimina vocantur, *Qua non admittit bona fides, & spei Christianus*, (ut *S. Aug.* loquitur) sola Oratione Dominica non purgentur, sed uberioribus fletibus, gravioriſque, ac diuturnioris satisfactionis labore opus est, atque in primis Pœnitentiæ Sacramento, re, vel certe desiderio, susceptо. Conducit tamen Dominica Oratio ad impetrandam etiam lethalium peccatorum veniam: cum peccator depositо hujusmodi criminum affectu, sinceroque dolore compunctus, quod Deum optimum, amantissimumque Patrem offenderit, ipsum ut filius diligere incipiens, ad eumque instar Prodigi reversus, & deinceps illum colere, super omnia diligere, eique in omnibus obsequi apad se statuens, ait: *Pater, peccavi in cælum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus.* Hinc *S. Aug. in Enchiridio*, post verba mox citata subdit: *Delet & illa, a quibus vita fidelium etiam scelerate gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit: si quemadmodum veraciter dicitur,* Dimitte nobis debita nostra, *quoniam non desunt, quæ dimittantur, ita veraciter dicatur*, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: *Ideo scilicet, si fiat, quod dicitur, quia & ipsa eleemosyna est, veniam potenti homini ignoscere.*

Et Lib. 21. De Civ. Dei, c. 27. *Oratio quotidiana, quam docuit ipse Dominus, unde & Dominica nominatur, delet quidem quotidiana peccata, cum quotidie dicitur*, Dimitte nobis debita nostra, *atque id, quod sequitur non solum dicitur, sed etiam fit*, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Sed quia fiunt peccata, ideo dicitur, non ut ideo fiant, quia dicitur. Per hanc enim nobis voluit Salvator ostendere, quantumlibet juste in hujus vitæ caligine, atque infirmitate vivamus, non nobis deesse peccata, pro quibus dimittendis debemus orare, & ait, qui in nos peccant, ut & nobis ignoscatur, ignoscere. Non itaque propterea Dominus ait,* Si dimiseritis pec- Matth. 6. *cata hominibus, dimittet vobis & Pater vester peccata vestra, ut de hac oratione confisi, securi quotidiana scelera faceremus, vel potentia, qua non timeremus hominum leges, vel astutia, qua homines falleremus: sed ut per illam discoremus, non putare nos esse sine peccatis, etiamsi a criminibus essemus immunes: sicut etiam Legis Veteris Sacerdotes hoc ipsum Deus de Sacrificiis admonuit, qua jussit eos primum pro suis, deinde pro Populi offerre peccatis. Num & ipsa verba tanti Magistri, & Domini nostri vigilanter intuenda sunt. Non enim ait, Si dimiseritis peccata hominibus, & Pater vester dimittet vobis, qualiacunque peccata, sed ait,* Peccata vestra. *Quotidianam quippe orationem docebat, & justificatis utique Discipulis loquebatur. Quid est ergo,* Peccata vestra, *nisi peccata, sine quibus nec vos eritis, qui justificati, & sanctificati estis? Ubi ergo illi, qui per hanc orationem occasionem perperandorum quotidie scelerum quærunt, dicunt, Dominum significasse etiam magna peccata, quoniam non dixit,* Dimittet vobis parva, *sed,* Peccata vestra: *Ibi nos considerantes qualibus loquebatur: & audientes dictum,* Peccata vestra, *nihil aliud debemus existimare, quam parva, quoniam talium jam non erant magna. Verumtamen nec ipsa magna, a quibus omnino mutatis in melius moribus recedendum est, dimittuntur eorum tibus, nisi fiat quod ibi dicitur*, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Si enim minima peccata, sine quibus non est etiam vita justorum, aliter non remittuntur; quanto magis multis, & magnis*

eri-

criminibus involuti; etiamsi ea perpetrare jam desinant, nullam indulgentiam consequuntur, si ad remittendum aliis, quod in eos quisque peccaverit, inexorabiles fuerint, cum dicat Dominus; Si autem non dimiseritis hominibus, neque Pater vester dimittet vobis.

Injuriarum condonatio conditio est adjecta postulationi veniæ. Et Lib. 1. ad *Bonifacium*, contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 14. *Quidquid* (inquit) *pariet nunc ista concupiscentia, si non sint illi partus, qui non solum peccata, verum etiam crimina nuncupantur, pacto illo quotidianæ orationis, ubi dicimus*, Dimitte nobis debita nostra, sicut dimittimus, *& eleemosynarum sinceritate* mundantur. *Neque enim quisquam sic desipit, ut dicat ad baptizatos dominicum illud non pertinere*
Matth. 5. *præceptum.* Dimitte, & dimittetur vobis, date, & dabitur vobis. *Nullus autem in Ecclesia recte posset ordinari Minister, si dixisset Apostolus:* Si quis sine peccato, *ubi ait:* Si quis sine crimine est. *Aut si dixisset*, Nullum peccatum habentes, *ubi ait*, Nullum crimen habentes. *Multi quippe baptizati fideles sunt sine crimine, sine peccato autem in hac vita neminem dixerim, quantalibet Pelagiani, quia hoc dicimus, adversum nos instientur, & disrumpantur insania: non quia aliquid peccati remanet, quod in Baptismate non remittatur; sed quia a nobis in hujus vita infirmitate manentibus, quotidie fieri non quiescunt, qua fideliter orantibus, & misericorditer operantibus quotidie remittantur. Hæc est Fidei Catholicæ sanctitas, quam Sanctus ubique seminat Spiritus, non pravitatis hæreticæ vanitas, & præsumptio spiritus.*

XVI. Postulationi veniæ conditionem adjicimus ex institutione Christi: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Igitur si volumus Deum nobis veniam concedere delictorum, parcamus illis necesse est, a quibus injuriam accepimus. Ad injuriarum oblivionem, & condonationem, ad inimicorum dilectionem, & Lex Christi jubentis, & exemplum, & proposita merces, nempe dignitas filiorum Dei, & pacti necessaria observantia, ut dimittamus, si dimitti nobis a Deo volumus, nos obstringunt, & invitant. Adjunxit Christus, & addidit legem, *Certa nos conditione, & sponsione constringens, ut sic nobis dimitti debita postulemus, secundum quod & ipsi debitoribus nostris dimittimus, scientes impetrari non*
Matth. 7. 4. *posse, quod pro peccatis petimus, si & ipsi circa debitores nostros paria fecerimus. Idcirco & alio loco dicit:* In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis. *Et qui post dimissum sibi a Domino omne debitum conservo suo noluit ipse dimittere, in carcerem relegatur. Quia indulgere conservo suo noluit, quod sibi a Domino indultum fuerat, amit-*
Marci 12. *sit. Qua adhuc fortius Christus in præceptis suis majore censura sua vigore proponit.* Cum steteritis (*inquit*) ad orationem, remittite, si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester, qui in cælis est, remittat peccata vestra vobis: si autem vos non remiseritis, neque Pater vester, qui in cælis est, remittet vobis peccata vestra. *Excusatio tibi nulla in die Judicii superest, cum secundum tuam sententiam judicaris: & quod feceris, hoc & ipse patiaris. Pacificos enim, & concordes, atque unanimes esse in domo sua Deus præcipit; & quales nos facit secunda nativitate, tales vult renatos perseverare, ut qui filii Dei esse cœpimus, in Dei pace maneamus, & quibus Spiritus unus est, unus sit*
S. Cyprian. Lib. de Or. Domin. *& animus, & sensus. Sic nec Sacrificium Deus recepit dissidentis, & ab Altari revertentem prius frari reconciliari jussit, ut pacificis precibus & Deus posset esse placatus. Sacrificium Deo majus est pax nostra, & fraterna concordia, & de unitate Patris, & Filii, & Spiritus Sancti plebs adunata. Neque enim in sacrificiis, qua Abel, & Cain primi obtulerunt, munera eorum Deus, sed corda intuebatur, ut ille placeret in munere, qui placebat in corde. Abel pacificus, & justus, dum Deo sacrificat innocenter, docuit & ceteros, quando ad Altare munus offerunt, sic venire cum Dei timore, cum simplici corde, cum lege justitiæ, cum concordia pace. Merito ille dum in Sacrificio Deitatis est ipse, postmodum Sacrificium Deo factus est, ut Martyrium primus ostendens, initiaret sanguinis in gloria Dominicam Passionem, qui & justitiam Domini habuerat, & pacem. Tales Domino coronantur, tales in die Judicii cum Domino vindicabuntur. Ceterum discordans & dissidens, & pacem cum fratribus non habens, secundum quod B. Apostolus, & Scriptura Sancta testatur, nec si pro Nomine Christi occisus fuerit, crimen dissensionis fraterna poterit evadere, quia, sicut scriptum est:* Qui fratrem suum odit,
1. Joan. 3. homicida est, *Non potest esse cum Christo, qui imitator Judæ maluit esse, quam Christi. Quale delictum est, quod nec Baptismo Sanguinis potest ablui? Quale crimen est, quod Martyrio non potest expiari?* Verba sunt *S. Cypriani*.

Pactum cum Deo faciemus in orat. Quotidie ergo dicamus, & corde vero dicamus, & quod dicimus, faciamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Sponsionem facimus cum Deo, pactum, & placitum. Hoc tibi dicit Dominus tuus: Dimitte, & dimitto: non dimisisti: tu contra te tenes, non ego. Habetis inimicos? Diligite illos. Nullo modo tibi potest nocere læviens inimicus, quantum tibi noces, si non diligis inimicum. Ille enim nocere potest, aut villæ tuæ, aut pecori tuo, aut servo tuo, aut filio tuo, aut conjugi tuæ, aut ut multum, si illi data fuerit potestas, carni tuæ? Nunquid, quomodo tu, animæ tuæ? *Diligite inimicos vestros.* Primo credite posse fieri: & orate, ut fiat in vobis voluntas Dei. Quid enim tibi prodest malum inimici tui? Si malum nullum haberet, nec inimicus tuus esset. *Bonum illi opta, finiat mala, & non erit tibi inimicus. Non enim inimica est tibi in illo natura humana sed culpa. Omittemus originem primam. Deus Pater, Ecclesia Mater: ergo nos fratres.* Sed inimicus meus Paganus est, Judæus est, Hæreticus est. Saulus inimicus erat Ecclesiæ, orstum est pro illo, factus est amicus. Non solum destitit esse persecutor, sed laboravit, ut esset adjutor. Oratum est contra illum: sed contra ejus malitiam, non naturam. *Ora & tu contra malitiam inimici tui, illa moriatur, & ille vivat. Si enim mortuus fuerit inimicus tuus, quasi inimico caruisti, sed nec amicum invenisti. Si autem mortua fuerit malitia ejus: & inimicum amisisti, & amicum invenisti:* Dimittite, & dimittetur vobis: quod si non feceritis, peribitis. *Quid trabis semper cor in terra? Audi*, Sursum cor, *extende, dilige inimicos. Si non potes diligere sevientem, dilige vel petentem. Dilige hominem, qui tibi dicit*, Frater, peccavi, ignosce mihi. *Tunc si non ignoveris, non dico, deles orationem de corde tuo, sed deleberis de libro Dei.* Verba sunt *S. Augustini*, Ser. 56. alias de *Diversis* 68.

XVII. Verum (inquies) si veniam delictorum ea conditione a Deo postulamus, ut ipsi dimittamus injurias iis, qui nos offenderunt, & inimicos nostros diligamus, si injuriarum immemores esse oportet, quis poterit Dominicam Oratione dicere, cum maxima pars Christianorum, etiam Deum timentium, injurias voluntaria oblivione conterere non possit, & omnem vindictæ appetitionem extinguere? Orandum ut inimico diligamus.

Respondetur, Etsi caro concupiscat adversus spiritum, & carnalis appetitus sit ad ultionem proclivis; si tamen spiritus adverſus carnem concupiscat, si ratio, & voluntas Dei præcepto subdita, & inchoata saltem caritate instructa, corruptæ naturæ appetitionibus reluctetur, & injurarum oblivisci sincere velit, atque dimittendi proximo puriorem affectum, seu majorem caritatem a Deo sibi dari desideret, humiliterque postulare velit, posse, qui ita est affectus, Orationem Dominicam recitare, ac dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Nam præter quam quod totius Ecclesiæ nomine hæc dicuntur, in qua plures sunt pietate & caritate insignes, qui fæ vientibus etiam inimicis injurias ex animo remittunt: id a Deo petentes, rogamus quicquid ad illud impetrandum necessarium est, scilicet veræ Pœnitentiæ, Caritatis dona, adeoque & bonam voluntatem erga eos, qui nos quovis modo læserunt. Si foli debent dicere. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, qui diligunt inimicos, nescio quid faciam, nescio quid dicam; (inquit *S. Aug.*) Dicturus enim vobis sum, Si non diligitis inimicos vestros, nolite orare? Non audeo: *immo dilig atis, orate.* S. Aug. Ser. 5. alias de Diversis. Sed nunquid vobis dicturus sum. Si non diligitis inimicos vestros, nolite in Oratione Dominica dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?* Puta quia dico, Nolite dicere? *Si non dixeritis, non dimittuntur: si dixeritis, & non feceritis, non dimittuntur. Ergo dicendum est, & faciendum, ut dimittantur.* Maximum hoc eleemosynæ genus est, inimicis parcere, ut ostendit *S. Aug.* in *Enchiridio*, cap. 72. 73. & 74. Ad omnia sane, quæ utili misericordia fiunt, valet, quod Dominus ait, *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* "Non solum ergo, Lucæ 11. „ qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægroto, „ vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili „ subvectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, „ non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, „ & quod cuique necessarium est indigenti; verum etiam „ qui dat veniam peccati, eleemosynam dat, & qui emen„ dat verbere in quem potestas datur, vel coercet aliqua „ disciplina; & tamen peccatum ejus, quo ab illo læsus, „ aut offensus est, dimittit ex corde, vel orat ut ei dimit„ tatur, non solum in eo, quod dimittit, atque orat, ve„ rum etiam in eo, quod corripit, & aliqua emendatoria „ pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præ„ stat. Multa enim bona præstantur invitis, quando eo„ rum consulitur utilitati, non voluntati, quia ipsi sibi in„ veniuntur esse inimici, amici vero eorum potius illi, quos „ inimicos putant, & reddunt errando mala pro bonis, cum „ reddere mala Christianus non debeat nec pro malis. „ *Multa itaque genera sunt eleemosynarum, quas, cum facimus, adjuvamur, ut dimittantur nostra peccata: sed ea nihil est majus, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit. Minus enim magnum est erga eum esse benevolum, sive etiam beneficum, qui tibi nihil mali fecerit: illud multo grandius, & magnificentissima bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas, & ei, qui tibi malum vult, & si potest facit, ut bonum semper velit, faciaque cum possis, audienti dicentem Deum,* Diligite inimicos vestros, benefacite eis, qui vos oderunt, & orate pro eis, qui vos persequuntur. *Sed quoniam perfectorum sunt ista filiorum Dei, quo quidem se debet omnis fidelis extendere, & humanum animum ad hunc affectum, orando Deum, secumque agendo, luctandoque perducere: tamen, quia hoc tam magnum bonum tanta multitudinis non est, quantum credimus exaudiri, cum in oratione dicitur,* Dimitte nobis debita nostra, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; procul dubio verba sponsionis hujus implentur, si homo, cui nondum ita profecit, ut jam diligat inimicum, ta-*

Matth. 5.

men